

quo innotuere, plurimos admiratores, non solum inter populares, sed etiam inter exteros, nactos, et summis praeconijs exceptos esse? Quot honorifica iudicia a Clarissimo Fischero e Graecis, Latinisque, scriptoribus collecta, et editioni nouissimae quatuor priorum dialogorum Platonis praemissa, quibus possent etiam plura alia addi, si opus esset, hoc docere possunt? Vt vnum tantum commemorem, quam saepe Cicero suis in libris Platonis mentionem facit, et quidem semper summa cum eius laude? Quid vero honorificentius esse potest, quam a Cicerone laudari, quem aequae religiosum in laude aliis tribuenda, quam acutum in iis perspicendis, quae laude digna essent, fuisse sciamus? Neque mirandum est, eum aequae honorifice de Platonis Gorgia iudicasse, quem, et rerum, quas tractat, grauitas et orationis, qua conscriptus est, elegantia commendant. Editionis huius dialogi a me curatae paucis videtur ratio reddenda. Ipse titulus, atque index, quem ei praemisi, quemque docebit, me textum a Stephano constitutum non retinuisse, sed saepe ab eo, non tamen sine ratione, sed adhibitis subsidiis idoneis, discessisse. In his subsidiis primo loco ponendae videntur Lectiones Varias, mecum a Fischero, e duob. Codd. communicatae, Viro, vt de aliis Graecis Scriptoribus, ita et de Platone, adeo praeclare merito, vt saepe doluerim (et quem-

que